Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Carmina - Cod. Karlsruhe 57

Kurrer, Carl Philipp Friedrich

[S.l.], [18. Jahrh.]

III.

urn:nbn:de:bsz:31-72238

Visual Library

11.

III.

— Remanet pallorque rigorque,
Et ſtupet illatus mundo. Lucanus.

Sunt aliquid manes! Non ultima linea rerum eſt,
Mors, nec mens plane, corpore functa, perit.
Sæpe bonus miſer eſt, vita torquetur in omni
Nilque lenimenti nocte dieque videt.
Siccine nullus honos virtuti? Siccine inanis,
Numen, dum vivas, eſt, coluiſſe labor?
Si cum morte mea mens adnihilabitur, ecur
Jus ego fasque colam, ſicque nocebo mihi?
Aut alios igitur ſequar hos, quibus omnia fauſte
Succedunt, faciens, quod mihi cumque lubet,
Aut ſi damnorum lenimina nulla videbo,
Funis hic illorum terminus eſto mihi!
Iſte malus ſemper fortuna gaudet, honore
Paſcitur, et quid ſit, neſcit, habere malum,
Divitias cumulat, cumulatis utitur, omne,
Quidquid habere cupit, dum moriatur, habet.
Non illum morbi, non triſtia fata ſuorum
Non alii torquent. Solus egone miſer?
Eſto! tuos gemitus cohibe! temerarius eſt, qui
Increpat imperium, iuſtitiamque Dei!
Perfer, et obdura! labor hic tibi proderit olim!
Si moreris, totus non moriere tamen.
Corpore functa manet, veterisque eſt conſcia vitæ
Mens: Sunt Elyſiæ Tartareæque domus!
Aſt ea nil, niſi, ſunt, veteris figmenta poëtæ,
Quæ ſapiens dudum dixerat eſſe nihil.
Tolle poëtarum veſtes, ſub iisque latere
Ad tamen: haud pereunt omnia morte! vide!
Redde Deo grates, qui clarius iſta docet, quo
Spes tua ſit melior, tota futura videns!

Quaris, ubi maneat mens? insideatne sepulcro?
Aëris instabilis num per inane volet?
Nescio, quis locus est menti! tamen est locus, e quo
Judicis omniscii vox revocabit eam.
Quod texit ante, suum corpusque resumet, eritque
Læta bonæ sedes, terribilisque malæ!
Qui mala patrarunt vivi, patrare quiescent,
Sicubi corporibus spiritus exit, ea.
Quidquid de spectris igitur, strigibusque referre
Audis, vanorum somnia vana puta!
Credidimus pueri, docti meliora negamus,
Credat Apella rudis, credula credat anus!
Hic, vix imbutus verbis, vinoque gravatus,
Instituit, media nocte redire domum,
Et videt atrato truncum super esse caballo,
Cui caput avulsum, pesque manusque deest,
Territus inde fugit, feralia carmina bubo
Stridet, perque nemus luna subinde micat,
Parturit hæc umbras, foliis repressa, dolosas,
Et tandem premitur nubibus, atque latet,
Territus ille prius trunco, terretur et umbris,
Conspectis, auget noxque supina metum,
Audiit id, iuvenis: nox est nullius amica!
Id reputans, nocti se sociasse dolet,
Membra tremunt, corpus sudat, silvamque pererrat,
Tandem eluctatus prata propinqua quatit,
Apparent ignes, circumvolitantque; paludi
Incidit, atque domum vix reperire potest,
Et, quæ visa sibi fuerint, exponit, id audit
Adstans narranti filius, atque tenet,
Mente sua volvens semper, et grandior annis
Graviter hunc callem vadere nocte cavet.
Hic locus infamis dudum est! annosior addit
Femina, complures hic cecidere viri!

Historias adfert alias, et compita plura
Enumerat, noctu quæ fugienda forent.
Hac nebulo quondam ſuſpendit ab ilice corpus,
Terminus hic quondam fraude remotus erat!
Hic periurus adeſt, noctuque vagatur adulter!
Hac fouea ablatas iste tegebat opes!
Condidit hic puerum clam mater iniqua necatum!
Omnibus his noctu vos cohibete locis!
Has, mihi promittat ſi quis vel mille talenta
Argenti, numquam nocte tenebo vias!
Quid! quod hic adparent interdum ſole micante
Spectra, triplex verum crux ea facta fugat.
Non ea per siluas tantum camposque vagantur,
Illa solent etiam ſollicitare domos.
Si quis atrox facinus cōmiſit, ſi quis opes clam
In cellis mortem condidit ante ſuam,
Nulla quies animæ! gemebunda minansque videtur,
Donec homo felix, quo redimatur, adeſt.
Sic infelices animæ doluere, (fides ſi
Sit monachis, quorum non tamen æqua fides!)
Quæ, quia non opibus claustrum ditare volebant,
Linquebant ſoboli divitiasque ſuæ,
Ignibus admotæ, tristis propylæa per orci
Purgantur, variis torminibusque gemunt,
Adparentque ſuis, perque omnia ſacra precantur,
Vt ſtudeant requiem conciliare ſibi!
Pluribus ista quies precibus, miſſisque paratur,
At quis eas fruſtra fundere quæſo volet?
Quo magis augerent nūmos, hinc ſæpius illi
Spectra fuere, quibus credita miſſa fuit.
Terruit id multos. Pauci, quos Numen amavit,
Præſtigias illas non timuere, viri.
Sic multabatur, quæ plurima damna Viennæ
Vmbra minabatur, prime Josephe! tibi!

Principis hæretici ſocium te vidit auiti
Turba sacerdotum, nec, fremebunda, tulit,
Hunc remouere volens saxum mouet omne, nihilque
Verba valere videns, vtitur arte ſua,
Haud mora flaminiorum monſtrum, vinctumque catenis,
Peruenit in media nocte cubile tuum,
Siccine? quæ pietas? ſate Cæsare! diligis, inquit,
Hæreticum? miser es! poena sequetur atrox!
Eripe te ſocio, qui mortuus ibit in orcum!
Ne trahat is ſecum teque, animamque tuam.
Has vbi sæpe minas ſpectrum profuderat, ipſe
Rex timuit, plures pallidus ora dies,
Quæ ſit cauſſa, rogat, palloris, et audit ab ipſo
Hæc, ſocioque ſuo fert Fridericus opem.
Intrat clam noctu regis conclaue, vigilque
Illius in thalamis, intrepidusque iacet,
Ecce! venit ſpectrum, flammas vomit ore, catenas
Concutit, et repetit, quas tulit ante, minas,
Ast ille impauidus de lecto ſurgit, atroxque
Adloquitur monstrum, cumque taceret idem,
Corripit ambabus manibus, reſeratque feneſtram,
Correptum, et tortans comprimit, atque quatit,
Et, quod robur ei fuerat, quaſi ſimius eſſet,
In foſſam ſpectrum qua data porta, iacit,
Orto ſole vident, id monstri quale fuiſſet,
Membraque mirantur facta fuiſſe viri.
Cogitat id sapiens, et si domus abdita spectris
Angitur, et vulgus qualiacumque timet,
Olfaciet fraudes. Sic terrent vulgus et arcent,
Qui, quid agant, alios non penetrare volunt,
Nec, quid agant, inuadit eum prurigo ſciendi,
Hæc notet, hinc prudens diligit eſſe procul,
At, ſi ſpectra ſuos adeunt, terrentque penates,
Impiger inquirit cuncta, vigilque cauet,

Ne nebulo, ſpectri faciem mentitus, amorem
Natæ, furtivos concubitusque petat,
Neu furetur opes noctu, vanoque timore,
Evacuet, facto, dolia plena meri.
Non ea ſpectra timet, quæ fuste dolare, datisque
Flagris, ne repetant tecta, domare poteſt,
Cætera, de ſpectris quæ portentisque feruntur,
Subridens audit ſomnia, nilque timet,
Erudietque ſuos, animos ne terror inanis,
Fabula vel vulgi frangat, agatve leves,
Quæ puer hausit enim ſcurrilia, firmius hærent,
Illaque difficile eſt, dedidiciſſe, viro.
Hæc noscens, mentes munitve docetve tenellas,
Et vetulas arcet, qua valet arte, procul,
Sique avia, aut metuens lemures matertera, cunis
Impositum puerum terret, et angit iis;
Succenſens, alia ratione ciere ſoporem,
Aut pueri fletus, has, removere, iubet.
Officiumque suum ſi ſe tecta relinquere cogit,
Vt veniat, curat, ſole micante, domum,
Aut, ſi cogetur percurrere compita noctu,
Membra, animumque mero debilitare cavet,
Sic, vbi desipiens, aut ebrius alter, opaca
Nocte vagabundus, ſpectra ſtrigesque videt,
Nulla videt, lætusque ſuo ſic tramite pergit,
Atque ſuos læt felix incolumisque venit.